Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

425

discretionis donatur, qua in eis omnem spiritalis
uite fabricam determinat. SEQVITVR.
Pharao rex egypti ascendit et cepit gazer:
succenditque eam igni. et chananeum qui
habitabat in ciuitate interfecit. et dedit eam
in dotem filie sue uxori salemonis. Pharao
qui dissipans uel discooperiens interpretatur. populus
gentium accipitur. qui opera diaboli in se peniten
do dissipat. et eius secreta confitendo reuelat.
Qui rex egypti memoratur. quia populus gentium in
tenebris ignorantie uersabatur. Pharao rex egyp
ti ascendit. dum populus gentium cognitione dei
et sui ad perfectionis sublimitatem contendit.
Pharao gazer capit. dum populus gentium noticiam
ueteris testamenti apprehendit. Gazer enim precisio uel
diuisio dicitur. qua uetus lex exprimitur. per quam
populus iudaicus a ceteris gentibus ritu circumcisionis
uariisque cerimoniis secernitur. Pharao gazer
igni succendit. dum populus gentium litteram legis
spiritali intelligentie subicit. Pharao chanane
um habitatorem ciuitatis interficit. dum populus gen
tium pauperculum illum synagoge intellectum. quo
ueteri testamento incumbit. chananeus enim pau
perculus dicitur. gladio spiritus configit. Qui enim
interficitur. uita separatur. sic acumine spiritalis in
telligentie spiritu uiuificans. littera occidente
sequestratur. Pharao gazer in dotem filie sue do
nat. dum populus gentium ueteris testamenti scientiam
per suos predicatores ecclesie de gentibus collecte mi
nistrat. Qua nimirum scientia ipsa ecclesia quasi
subarratur. quia sancte scripture cognitione ad spem
future repromissionis confirmatur. sic apostolus protesta
tur: Nos autem pignus sancti spiritus accepimus. Est et
filia pharaonis uxor salemonis. dum sancta
ecclesia de gentibus collecta. ueri regis christi matri
monio per spiritum sanctum sanctificata iungitur. que per sci
entiam sancte scripture in fide. spe. et dilectione per
ficitur: SEQVITVR.
Edificauit ergo salemon gazer. et bethoron
inferiorem. et baalath. et palmiram in terra
solitudinis. et omnes uicos qui ad se pertine
bant. et erant absque muro muniuit. et ciui
tates curruum. et ciuitates equitum. et quodcumque ei
placuit ut edificaret in ierusalem. et in libano.
et in omni terra potestatis sue. Salemon
gazer edificat. dum christus ueteris testamenti sci
entiam. misso de celis spiritu sancto reuelat. Betho
ron inferiorem edificat. que domus ire uel
montium uel ascensus sonat. dum noui testa
menti scientiam suo sanguine initiat. In quo
nimirum nouo testamento archa dei collocatur.
quia in eo sancta ecclesia meditatur. in quo montes
sublimes scilicet predicatores eminent. in
quo ascensus uirtutum ad regnum patent.
Bethoron inferior dicitur. quia uetus lex
euangelio temporis antiquitate preponitur. Sa
lemon baalath edificat. quod ascensus sonat.
dum christus suo euangelio apostolice doctrine perfecti
onem iungit. qua suos fideles ad ascensus
uirtutum prouehit. Salemon palmiram edifi
cat. quod habitaculum excelse uiuentium sonat.
dum sublimes in ecclesia predicatores locat.
quorum expositione et doctrina utriusque testa
menti scientia patefiat. Edificat salemon
hec omnia in terra solitudinis. quia in latitu
dine gentium que solitudini assimilata
fuerat. dum dei cognitione carebat. scien
tiam ueteris ac noui testamenti cum apostolorum et ex
positorum doctrina multiplicat. De hac soli
tudine per prophetam dicitur. cum se eam deus predi
cationis gratia infusurum pollicetur. Ponam de
sertum in stagna aquarum. et terram inuiam in riuos
aquarum. Salemon omnes uicos qui ad se perti
nent. et absque muro sunt muniit. dum filius
dei suos fideles qui in primordio seculi ad se per
tinebant. quia continenter uiuebant. et absque
muro scripte legis erant. naturalis legis mu
nitione cingit. Ciuitates curruum edificat.
dum legem et prophetas instaurat. de quibus predi
catorum ordo doctrine sue instrumenta accipiat.